



**D**Emum propter facile locorum ordinandorum adnotationem iterum regulamentum tenue faciemus, quod æquale sit longitudini g. frantum illudque firmabimus in g, ita, ut cum per totam longitudinem descriptionis circumferatur, exacte rectis alterius lateris congruat meridianis, quo sectio eius per medium cadat polum: latusque hoc in segmenta, si ad g f pertinere debent, centum triginta & unam diuidemus, aut solum in segmenta centum quindécim, si g f respiciant: numerosque adnotabimus facientes initium à sectione quæ per æquinoctialem est: à quibus et parallelis scribi intelligere possumus, nedum meridianum, qui in descriptione est, in omnia segmenta diuidimus & signamus, inscriptiones locorum, quæ super ipsum casura sunt confundamus. Partiemur igitur æquinoctialem in duodecim horarum ceterum octuaginta partes, numerosque apponemus, initium facientes à meridiano occidentalissimo, ac semper regulamenti latus ad ostensam longitudinis partem mo-

uebimus donec per diuisionem in regulamento factam, ad positionem secundum latitudinem signatam perueniamus, ibique super unoquoque signationem debitam, eodem quo in sphaera ostensum est modo faciemus.

In caput uigesimumquartum annot.

Docet Ptolemaus in hoc ultimo capite duplicem orbis in plano descriptionem. Priorem inuenit ex affectu sphaerae motæ seu reuolue, in qua scilicet meridiani sunt rectæ lineæ iuxta uisam apparentiam sphaerae reuolue. Alteram docet formare ex intuitu sphaerae quiescentis. Descriptio prima habet se in hunc modum. Fiat parallelogramum rectangulum a b c d, cuius latus a b duplum sit ad latus a c, diuidaturque parallelogramum illud in duo æqua per lineam e f: hæc eadem linea per tertiam sui partem aut paulo amplius extendatur ultra e, ut scilicet e g habeat 34. partes tales, quales sunt per lineam f g 131. & una tertia. Quod sic certius efficies, si lineam f e diuiseris in 97. partes & unam tertiam, hoc est, uiginti minuta, & ex illis accipies 34. partes, numeri abisq; ab e sursum, & ad finem earum facies punctum g polum mundi septentrionalem representatam. Reliqua fiant ut canon præcipit & figura ocula-